



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

D. Bernadvs Clarevallensis Apud Dunenses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

Prædia, quæ in Brabantinorum agro alibiique plurima pos-
sivebat in pios usus & hunc præcipue contulisset. In eo
Cœnobio & ipse aliquot annos poenitentiam agens soli-
que Deo (abiectis omnibus humanis curis) inseruiens cum
omni sanctitate vitam hanc temporalem cum æterna an-
no Domini 631. Kal. Octobris fœliciter commutauit. Cu-
ius etiam mutatione Gertrudis & Begga Pipini filiæ scilicet
puriōri vitæ addixerunt, multiisque Principes viri ac fœ-
minæ ipsius exemplum secuti, sanctimoniae laudem apud
posteros meruerunt. Ipsa quoque sancti Gertrudis ani-
mam eius sanctam simul atque è corpore exisset, vidisse,
ac linteum in quo beati viri cognatique sui corpus involu-
ueretur manibus suis contextuissé, eoque ipsum donasse
fertur. Ita officium Sanctorum Ecclesiae Gandavensis.
Vitam scripsit Theodoricus Abbas S. Trudonis. Plura vi-
de apud Molanum hoc die, & in prædicto officio.

D. BERNARDVS CLAREVALLENSIS

Apud Dunenses.

20. Aug. **A**NNO 1138. D. BERNARDVS Abbas Claræ-Vallis in
Flandrias venit prædicatum, ubi sanctis concionibus
ac salutaribus exemplis permultos ad piam beatamque
perduxit vitam, in quibus Arnulphus quidam cognomi-
ne à Maiorica tantâ solicitudine custodiuuit illius doctri-
nam, tantâqua patientia longos grauesque ante obitum
pertulit morbos, ut de eius conuersione ac constantia fæ-
pè Bernardus gratias agens Deo diceret ipsum fuisse tan-
quam aurum in fornace probatum. Meyerus lib 5 Anna-
lium in Theodorico Elſatio. Apud Furnenses autem cum
verbo Dei insisteret Bernardus Dunensibus Cœnobitis
Cister-

Cisterciensium tradidit institutum, ac Robertum Monachum suum, ad quem nunc eius extant epistolæ, patria genteque Brugensem Abbatiam inibi fecit, qui tam celebri floruit fama Sanctitatis ut ab ipso Bernardo iam animam agente electus sit Abbas Claræ-vallis. Meyerus ibidem.

BERTVLFVS CONFESSOR

In Monte Blandinio.

BERTVLFVS Patria Germanus, Renticam dioceesis Morinensis vicum veniens ibidem baptisatus est, adhæsitque Wamberto Comiti eiusque coniugi Hombusæ, qui paulo antea Monasterium ibidem exstruxerant. Romanum cum eisdem profectus, indeq; redux viros multos religiosos Renticæ collegit quibuscum sanctissimè vixit, & circa annum 680. pijssimè in Domino obdormiuit. Sacra eius ossa propter excursiones piratarum primo Bononiæ, munitum Galliæ opidum ad Oceanum inde Harlebecam ab Arnulpho magno Flandriæ Marchione, ac demum Gandavum ad Blandiniense cœnobium sunt transportata. Est autem Rentica seu Rentiacum pagus gentis Croyæ titulo Marchionatus celebris. Solet in Blandinio, ut constanti fama apud illos traditur, pulsum velut manibus edere circa feretrum suum graui aliqua imminente diuinâ vltione, & sic tamquam admonere fideles, ut precibus, & fructibus pœnitentiæ iram Dei accensam placarent, plura de eo apud Molanum vide hac die.

5. Febr.

G BRIXIVS